

quam valide muscularum sistema in istis malis patiatur, manifesto testantur.

#### §. IV.

Quamquam autem malum hypochondriacum et hystericum suam in totum neruorum et fibrarum muscularium sistema vim exercet et tyrannidem, prout ex haec tenus dictis apparet: attamen maxime et praeceteris partibus in primas facuit vias. Obseruamus enim, 1) prima frequentissima et grauissima fere incommoda, quibuscum solet istud malum stipatum incedere, circa primas sese vias exferere; 2) reliqua incommoda, quae aliis partibus insunt, proximius aut remotius vitiis primarum viarum deberi, quod WHYTT eleganter satis docuit; 3) demum nil magis mali hypochondriaci et hysterici ortui fauere, quam vitia primis inducta viis. Quae cum ita sint, atque reliqua huius mali symptomata, quorum omisi recensionem, ex allatis deduci debeant: patet, *malum hypochondriacum et hystericum in toto equidem genere neruoso et fibrarum muscularium systemate residere, maxime tamen primas occupare vias.*

#### §. V.

Atque haec de sede horum, quae diximus, malorum. Quoniam vero in vitio corporis vera illorum essentia et natura ponenda? Vidimus (§§. II-III.) comparere in malo tam hypochondriaco, quam hysterico, phaenomena, quae actionem neruorum et fibrarum muscularium auctam, imminutam, depravatam esse suadent, et monuimus (§. antec.), reliqua, quae his malis insunt, quam optime exinde deduci posse. Obseruamus porro, subie-